FASCICULUS RERUM,

IN QUIBUS QUOD VIDETUR OPPORTUNUM

DE

VITÂ

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

PER

EXQUISITISSIMAS MODERNÆ NOSTRÆ CIVILITATIS ARTES
UNIVERSIS POPULIS COMMUNICANDA

I. IN SYMBOLUM VERÆ OMNIUM POPULORUM UNITATIS IN ECCLESIA,

II. IN CONCILII ŒCUMENICI VATICANI JUCUNDISSIMUM MEMORIALE,

III. IN UNIVERSÆ PLEBIS CHRISTIANÆ DULCISSIMUM VITÆ QUOTIDIANÆ SOLAMEN ATQUE ORNAMENTUM,

OMNIBUS BONIS ZELATORIBUS PRO CAUSA DEI ET ECCLESIÆ

PROPONIT

HENRICUS FORMBY,

EX ANGLIA PRESBYTER.

'Dicendo nationibus
Regnavit a ligno Deus.'

PUBLICI JURIS FECERUNT
LONDINI:
BURNS, OATES, SOCII BIBLIOPOLÆ,
In viis dictis Portman Street No. 17, et Paternoster Row No. 63.
PARISIIS: J. LECOFFRE ET FILIUS.—COLONIIS. J. P. BACHEM.—ROMÆ: J. SPITHÖVER.

Exemplar Epistolæ ad Eminentissimum Cardinalem A. Barnabo, S. Congregationis de propagandâ Fide Præfectum scriptæ et ad Romam missæ unâ cum exemplari præsentis Fasciculi Rerum.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Relative ad negotium Eminentiæ vestræ jam per litteras die XXII[do] Februarii hujus anni expositum, liceat mihi scribere, post rem adhibitis consiliariis ad trutinam sæpius revocatam, tandem statutum fuisse, operi pro communi omnium pace ac salute posse bene convenire, ut in primo suo initio quod opportunum visum fuerit de naturâ ejus ac scopo generaliter omnibus Catholicis notum fieret. Ad quod quidem attingendum, per præsentem 'Rerum fasciculum,' cujus exemplar Eminentiæ Vestræ humillime offertur, publici juris factum, et publicis foliis in diversis regionibus communicandum, jam aliquo modo provisum est.

Hoc enim modo voluimus operi nostro quo melius consulere, ut Deo adjuvante ita, sicut olim in bellis contra Saracenos, gradatim viam crescendi iniret, ut in fine absque præjudicio et invidiâ, si Deus dederit, invenire possit gratiam coram Ecclesiæ principibus, quorum est, unâ cum Venerando Summo Pontifice, in omni majoris momenti negotio quod faciendum est statuere ac decernere.

Hæc nec ampliora sit mihi fas Eminentiæ Vestræ impertiri dum pro semper maneam.

Supremæ Romanæ Sedis et sacræ ejus purpuræ
Observantissimus,

HENRICUS FORMBY.

Scribebam, die XV. Aprilis, 1870.

'Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in æternum.'

Isaias xxx. 8.

AD LECTOREM.

Lector Benevole,—Vellem ut ne mireris super opere quod tibi in hoc libello tantum brevissime ad notitiam proponitur; sed ut potius hoc tecum aliquantulum reputes,—Quid magis jucundum, quid vitæ beatorum spirituum in cœlo magis esse poterit in terris propinquum? quam quum viri cordati quantumvis diversæ loquelæ sint, quantumvis per diversitatem regionum a se separentur, concordes et stabiles in bono communem aliquam causam pro gloriâ Dei unitis viribus prosequuntur. Ubi autem Vitâ Domini Nostri Jesu Christi sæculorum Redemptoris vel majus vel melius quid invenies; ubi Summo Romano Pontifice, optatum operis ducem quemquam fide digniorem reperies?

Fiant ergo, te gaudente, et huic operi veræ pacis et concordiæ Christianæ pro omnibus simul populis faciendo nomen et operam dante, modernæ nostræ civilitatis artes exquisitissimæ ad hanc summam omnium Vitam exornandam in ancillas benemerentes. Et ne desint precor ferventes orationes tuæ ad Deum, beatissimamque Virginem Matrem Mariam cum omni curiâ cœlesti, ut opus gratiam invenire possit, in conspectu Supremi Romani Pontificis, et coram oculis omnium Ill^{morum} et Rev^{morum} præsulum Ecclesiæ nunc temporis Romæ commorantium. Valeas.

CATALOGUS RERUM.

PAGINA

I. XII. Theses omnibus eximiis pro causâ Dei et Ecclesiæ zelatoribus, et præcipue Reverendissimis et Illustrissimis Patribus nunc temporis Romæ congregatis, humillime ad perpendendum propositæ 5

II. Ulterius quid de triplice scopo operis supra expositi, III. argumentis 8

III. Ulterius quid de convenientiâ operis supra expositi, IV. argumentis 10

IV. De relatione operis supra expositi ad Summum Pontificem, VIII. argumentis 15

V. De beneficiis ex supra exposito opere sperandis, VI. argumentis 17

VI. Solvuntur aliquæ difficultates, VIII. argumentis . . . 19

VII. De modo operandi Summo Romano Pontifici humillime proponendo, VI. argumentis 22

VIII. De opere gradatim perficiendo juxta exemplar grani sinapis Evangelici 24

I.

XII. Theses

de vitâ Domini nostri Jesu Christi per modernæ civilitatis illustrissimas artes typographiæ et sculpturæ, publici juris faciendâ, (I.) in symbolum unitatis omnium populorum in Ecclesiâ Catholicâ, (II.) in memoriale gratissimum Concilii Œcumenici Vaticani, (III.) in jucundissimum vitæ quotidianæ totius plebis Christianæ ornamentum ac solamen, —omnibus pro causâ Dei et Ecclesiæ eximiis zelatoribus, et præcipue SS. Reverendissimis et Illustrissimis Patribus nunc temporis Romæ congregatis, si modo hoc liceret, perpendendas, humillime proponit tanti honoris minime dignus

Henricus Formby, *ex Angliâ presbyter.*

I. Thesis

In aperto est atque indubitatum existere pestem malorum librorum, quæ multiformem operatur corruptionem morum, magnam ordinis civilis fere ubique terrarum perturbationem, et grande damnum animarum in multis gentibus populisque. De peste malorum librorum.

II. Thesis

Præfata pestis quasi se reduplicat, quantum ad vim suam nocivam, per varias methodos, ut aiunt, 'illustrationum' per quas prodire solet textus libri omnimodis imaginibus exornatus. De peste per artes sæculi pejore factâ.

III. Thesis

Præfata pestis subsistit per modum rei nullatenus cito perituræ. Habet rationem cujusdam tabulæ viventis humanam vitam in statum peccati lapsam in re litterariâ depingentis; quæ donec mundus sua et suos diliget, et donec ex eâ se nutrire et ditare poterint auctores, pictores, operarii in arte typographicâ et bibliopolæ, diu videtur permansura. De peste verisimiliter diu permansurâ.

IV. THESIS

De peste difficillime extirpandâ.

Ad hanc pestem extirpandam nullatenus sufficit sola vox episcopatûs et cleri seu pastorum et prædicatorum contra eam quamvis vehementer invehentium. Summus Pontifex pluries jam contra eam vocem suam sustulit apostolicam, pluries de magnis ex eâ undique provenientibus malis venerabilibus episcopis per litteras encyclicas locutus est. Nihilominus tamen pestis vel eadem manet vel etiam in deterius vergit.

V. THESIS

Perpetua cautela tædium parit.

Minus patienter sustinent fideles semper audientes de perpetuâ qua se munire debent contra malas lectiones cautelâ. In mundo vivunt, artem legendi addiscunt, hoc curante et exigente ipso episcopatu et clero, quod inculpabiliter legant quærunt, solâ abstinentiâ parum contenti.

VI. THESIS

De bonis libris multiplicandis.

Videtur, dicente S. Scripturâ, quod apposuit Deus homini aquam et ignem, monens eum, '*ad quod volueris porrige manum tuam*' (Ecclus. xv. 17), temporibus nostris, in quibus tam magnum prævalet diluvium malarum lectionum, multum convenire, ut multiplicentur fidelibus occasiones, et quantum fieri potest etiam per operam cleri, ad bonas lectiones manus porrigendi.

VII. THESIS

De bonis libris ornatioribus faciendis.

Videtur porro temporibus nostris ubi vivunt fideles in tam multis regionibus per familias suas cum infidelibus permixti iisdem legibus civilibus utentes, multum convenire, ut non solum fidelibus ad manus præsto sit in re litterariâ quod eorum inserviat utilitati, sed etiam insuper id, quod vicinis suis amicis ac benevolis, cum quodam gaudio ac studio ostendere et in manus tradere queant; sicut beatissima Virgo Maria carum suum filium Jesum Magis ex oriente venientibus comiter ostendit.

VIII. THESIS

Commendantur modernæ civilitatis artes.

Videntur illustrissimæ artes civilitatis modernæ, scilicet typographiæ et sculpturæ, optime capaces esse ita vitam D. N. J. C. qui fuit verus homo, in Bethlehem natus et apud Hierosolymam cruci affixus, in lucem edere, ut prorsus impos-

sibile fiat ut non in verum gaudium omnibus videntibus prodiret.

IX. Thesis

Videtur nostris temporibus, quasi universæ Ecclesiæ Catholicæ debitum incumbere, honorem D. N. J. C. a blasphemiis Renan et aliorum per rem litterariam fere ubique terrarum sparsas, publice læsum, publico quodam ac solemni modo reparandi. Quæ quidem publica et solemnis reparatio quam bene per eamdem rei litterariæ viam fieret per quam patratum atque introductum est dedecus, quis denegabit? De blasphemiâ Renan reparandâ.

X. Thesis

Videtur errori qui (vii.) in syllabo damnatur, *ipsum nempe Jesum Christum esse mythicam fictionem*, nihil opportunius opponi posse quam vera historia D. N. J. C. per exquisitissimas artes modernæ nostræ civilitatis, omnibus populis in admirationem facta. De errore '*Mythicæ fictionis.*'

XI. Thesis

Videtur ars typographiæ modernæ, cum suis artibus conjunctis hoc insigne prærogativum omnibus aliis artibus sibi juste vindicare, ut non solum talis sit in quâ tam multæ tamque diversæ humani ingenii dotes sedem suam inveniant, sed postquam his omnibus optimo modo usa sit, ut insuper talis maneat, quæ fructus earum omnibus linguis inserere, omnibus simul terris ac populis communicare, et etiam unicuique familiæ et domui ad manus porrigere queat. Quis fidelium non gauderet has insignissimas modernæ nostræ civilitatis artes, videre, ancillas D. N. J. C. se præbentes, ad D. N. J. C. vitam omnibus simul populis communicandam. De dotibus modernæ typographiæ.

XII. Thesis

Cui fidelium non esset in voto, ut placere posset ipsi Summo venerando Pontifici cum omnibus reverendissimis et illustrissimis Prælatis, Romæ congregatis, decernere, ut per has insignissimas artes exornata, prodiret vita D. N. J. C., in jus publicum, pro omnibus simul populis et linguis, (i.) in symbolum unitatis omnium gentium in Ecclesiâ, (ii.) in monumentum Concilii Vaticani Œcumenici gratissimum, et (iii.) in vitæ quotidianæ fidelium per varias suas gentes et regiones jucundissimum ornamentum ac solamen. De triplice scopo operis propositi.

926

II.

Exponitur quod opportunum dicere videtur de triplice scopo operis supra expositi, III. argumentis.

Præfari licet hic omnino nullam dari posse quæstionem generice sumptam de prædicandâ et notâ faciendâ vitâ et doctrinâ D. J. C., quod est opus dilectum et sanctum Ecclesiæ pro omnibus simul temporibus, regionibus, et ecclesiasticis personis, sed tantum hic agi de utendis conjunctis artibus typographiæ et sculpturæ, ad notam faciendam vitam D. N. J. C. et doctrinam modo speciali nostræ ætati convenientissimo, et id quod opportunum dicere videtur sequitur infra.

1. *De primo scopo operis, scilicet ut fiat in symbolum et documentum veræ unitatis omnium populorum in Ecclesiâ Catholicâ sub regimine Summi Romani Pontificis.*

Utilis memoria amissæ unitatis in D.J.C. recuperatæ.

Utile pro semper erit universæ plebi Christianæ, vivam nutrire memoriam universum mundum olim, in pœnam superbiæ, in varias linguas et nationes fuisse divisam; sed in præmium humilitatis, rursus in Domino Jesu Christo per gratiam revocatum fuisse ad unitatem in Ecclesiâ Catholicâ, sub supremo regimine pastorali unius Romani Pontificis. Hujus feliciter recuperatæ unitatis in symbolum gratissimum erunt, in supra exposito opere, omnes earum artium fructus, in quibus fas erit acta et gesta D. J. C., cum diversis regionibus Palæstinæ a D. N. J. C. peragratis, necnon et monumentis illorum temporum quæ supersunt, modo amabilissimo omnium oculis visibilia reddere.

Utile documentum amoris S. Romani Pontificis.

Utile etiam erit omnibus populis, in gratissimum ejusdem feliciter recuperatæ unitatis documentum, probe noscere, se curæ ac solicitudini Supremi sui Pastoris, imprimis, debere, quod opus ita perfectum et exquisitum vere præsto admanus habeant.

2. *De secundo operis scopo, scilicet ut fiat in jucundissimum memoriale 'Concilii Œcumenici Vaticani.'*

In anteactis mundi temporibus, illi qui dixerunt, '*Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras*' (Gen. xi. 4), in pœnam superbiæ confusionem linguarum supra faciem universæ terræ intulerunt. Quid autem decernere et statuere poterint Patres Ecclesiæ Romæ congregati, in Concilii Œcumenici Vaticani jucundius memoriale, antequam rursus dividantur in universas terras, quam Vitam D. J. C. recuperatæ unitatis earum veri auctoris, cujus culmen vere pertingat ad cœlum, per exquisitissimas nostri sæculi artes omnibus populis in admirationem faciendam?

Aptissimum memoriale Concilii Vaticani.

3. *De tertio operis scopo, scilicet ut fiat in universæ plebis Christianæ dulcissimum vitæ quotidianæ solamen atque ornamentum.*

Universa plebs Christiana, super faciem terræ per diversas suas gentes et familias divisa, sententiæ Divini judicis super Adam et filios ejus subjacet, et '*in laboribus de fructibus terræ comedit omnibus diebus vitæ suæ*' (Gen. iii. 17). '*Sine his omnibus non ædificatur civitas, super sellam autem judicis non sedent, nec in parabolis invenientur*' (Ecclus. xxxviii. 36). '*Sed creaturam ævi confirmabunt conquirentes in lege Altissimi*' (ibidem, 39).

Historia D.J.C dulce lenimen laborum vitæ quotidianæ.

Quale esse poterit dulcius et pretiosius vitæ quotidianæ hujus universæ plebis Christianæ inter labores suos quotidianos solamen atque ornamentum, quale esse poterit melius ac jucundius adjumentum ad conquirendum in lege Altissimi, quam Vita ejusdem Domini ac Redemptoris J. C. omnibus populis per artes nostri sæculi exquisitissimas in admirationem, et simul unicuique domui per propiæ gentis suæ sermonis usum intelligibilis facta.

928

III.

Exponitur quod opportunum videtur subjungere de convenientiâ supra expositi operis huic nostro sæculo,—IV. argumentis.

1. *Convenit Ecclesiæ artibus exquisitis cujusque sæculi uti ad incrementum et emolamentum sui Apostolatûs.*

2. *Optimo modo licet uti artibus conjunctis typographiæ et sculpturæ ad vitam D. N. J. C. omnibus simul populis notam faciendam.*

3. *Exponuntur quædam prærogativa præsentis artis typographiæ ad rem spectantia.*

4. *Exponuntur præcipua quædam argumenta, quare videtur huic nostræ ætati opportunum, ut in jus publicum detur a parte Ecclesiæ Catholicæ vita D. N. J. C. omnibus simul populis communis facienda.*

1. *Convenit Ecclesiæ artibus exquisitis cujusque sæculi uti ad incrementum et emolumentum sui Apostolatûs.*

David figura Ecclesiæ.

David procedens adversus Philistæum figura est Ecclesiæ contra antiquum serpentem pro animabus hominum causam suam agentis. Et notandum est Davidem egressum esse ad certamen non aliter munitum nisi cum solâ fundâ et perâ suâ pastorali quæ fuit *vacua*. Quum jam in viâ esset ad congrediendum cum hoste, invenit in torrente lapides, ex quibus quinque limpidissimos factos seligit mittens eos in peram suam pastoralem, et uno ex his postea percutit adversarium in fronte, et ita reportat insignem suam victoriam pro populo Dei. Simili modo videtur Ecclesiæ convenire in ipsâ viâ sui Apostolatûs, sumere de artibus quas invenit in torrente commercii humanæ vitæ limpidissimas factas, mittensque eas in peram suam pastoralem et utens eis, ita insignem suum triumphum reportare de omnis boni inimico pro populo Dei.

2. *Optimo modo licet uti artibus conjunctis typographiæ et sculpturæ ad vitam D. N. J. C. omnibus simul populis notam faciendam.*

D. N. J. C. fuit vérus homo, natus in Bethlehem, peregrinus in Ægypto, enutritus in Nazareth, Palæstinam benefaciendo pertransiens, Hierosolymis in cruce mortuus, in Monte Oliveto rediens in cœlum, et idcirco licet vitam ejus per artes typographiæ describere eodem modo sicut et licet pro aliis magni nominis viris. Quod quam acceptabiliter omnibus populis fieri potest testatur quotidiana experientia, testantur inclyta et grandia opera quæ publici juris faciunt magnarum urbium illustres bibliopolæ. **Artes typographiæ idoneæ sunt ad vitam D. J. C. notam faciendam.**

3. *Exponuntur quædam prærogativa præsentis artis typographiæ ad nostram rem spectantia.*

a. Pertinet ad modernam artem typographiæ habere duo diversa elementa, unum ad sermonem spectans, quem per litteras reddit (typographicè), et alterum ad artem delineatoris seu pictoris, quam per sculpturam super buxum modo prorsus admirando nunc temporis exprimit. **Duo elementa artis typographiæ.**

b. Per artes photographiæ (aliæ nostræ ætatis filiæ nobilissimæ) et sculpturæ super buxum conjunctas fas erit totam Palæstinam, regiones locosque a D. J. C. sanctificatos oculis omnium populorum modo amabilissimo visibiles dare. **Ars photographiæ nobilis.**

c. Idem dici potest de omnibus monumentis quæ supersunt illorum temporum, de moribus populorum, uno verbo de omnibus rebus ad vitam ac veram memoriam D. N. J. C. spectantibus.

d. Idem etiam dici potest de arte delineatoriâ, nihil enim est eorum quæ optime faciunt eximii artis pictoriæ studiosi quod non licebit modo amabilissimo omnibus populis per hanc sculpturam communicare. Hoc etenim habet ars nostra moderna prærogativum speciale quod materia sculpta quâ utuntur typographi possit modo facillimo ita multiplicari, ut sufficere queat omni populo et regioni totius mundi (per modum dictum Gallicè *clichés*). **Ars nobilis pictorum.**

920

4. *Exponuntur præcipua argumenta quare videtur huic nostræ ætati opportunum ut in jus publicum detur a parte Ecclesiæ Catholicæ Vita D. N. J. C. omnibus simul populis communis facienda.*

Terra Palæstinæ omnibus cara.

a. Semper antiquum fuit devotis et sanctis animabus visitare et oculis cernere posse terram Palæstinæ omnesque illas regiones per quas pertransiit, peregrinatus, et in quibus vixit et commoratus est D. N. J. C. durante tempore incolatûs sui in terris. Carissima fuit semper hæc terra populo Christiano, quam oculis cernere posse omnibus est in desiderio, et quibus contingit, sicut sæcularis docet experientia, nihil obstant, ut tandem oculis cerni possit, longissimi itineris per mare et per terras pericula. Cum quanto ergo gaudio excipiet fidelis populus Christianus per omnes gentes librum omnes regiones Palæstinæ a D. N. J. C. sanctificatas, modo amabilissimo oculis visibiles reddentem.

Error mythicæ fictionis.

b. Nostræ ætatis error pessimus de vero J. Christo D. N. facit meram mythicam fictionem. Quam opportunum ergo erit huic errori occurrere per usum ejusmodi artis quæ omnia quæ supersunt monumenta historica illorum temporum oculis visibilia reddet.

c. Testatur poeta,

'Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.'

Et quum experientia quotidiana doceat, quantum prosit fidelibus tabulas pictorum oculis contemplari personam D. N. J. C. depingentes, ægrotos sanantem, prodigia operantem, populos docentem, et similia; cum quanto omnium populorum gaudio nonne hæc ars, meliores quos in hac materia labores habere licebit, per omnes populos dabit ac disperget.

Lxxx. errores nostri sæculi.

d. Nostræ ætatis est nota funestissima, quod nunc temporis totus mundus subjacet erroribus, nunc temporis decipiuntur universi populi, nunc in veritate solutus est Satanas de carcere suo ad seducendas gentes (Apoc. xx.). Et hanc cernit nostra ætas consummationem mali, quod errores nostri sæculi non amplius errores hujus vel illius gentis maneant, sed omnibus simul populis quasi momento temporis (et hoc

præcipue per usum artis typographiæ) communes fiant. Si ergo pluribus jam linguis loquitur Satanas, ut octoginta errores in Syllabo notatas per universum mundum spargat, profecto, opportunum erit Ecclesiæ, Satanæ diversas simul linguas loquenti ad decipiendum, vitam D. N. J. C. pluribus linguis commuuem omnibus populis per supradictas artes typographiæ in edificationem et admirationem factam tamquam optimum contra lxxx. errores remedium opponere.

e. Opprobrium jam factum est Ecclesiæ se recenti civilitati acerbe adversari, opportunum ergo erit Ecclesiæ documentum solemne per omnes gentes dare ad probandum, quam bene noscat Ecclesia bonis artibus recentis civilitatis uti, ad honorem Divini sui Fundatoris promovendum, ad populumque suum docendum: et quam verum sit nunc temporis sicut et in anteactis temporibus, se nihil antiquius habere quam omnium bonarum artium Christianum usum ac patrocinium sibimet principaliter, sicut Reginam decet, vindicare. **Patrocinium omnium artium pertinet Ecclesiæ.**

f. Sicut Satanas studet in nostris temporibus per deceptiones suas noxiam quamdam et pestiferam communionem et nniversalitatem diversarum gentium in malo stabilire, ut postea congreget eas in prælium et omnia subvertat, ita opportunum erit Ecclesiæ solemne erigere monumentum, ad omnibus gentibus notum-faciendum, veram suam unitatem in solo D. N. J. C. et in Ecclesiâ suâ esse constitutam; et quidem tale monumentum quale omnibus populis erit in admirationem, quale omnes populi agnoscere debeant, dignum esse Ecclesiæ Catholicæ ex tam diversis populis coadunatæ, et de quâ unaquæque familia Christiana confiteri debeat, nisi fuisset Ecclesia una, et nisi omnibus præsulibus ac prælatis simul et unanimiter placuisset talem honorem D. J. C. decernere, hoc insigne memoriale carissimi Domini Salvatoris ac Redemptoris mei mihi præsto ad manus nunquam fuisset. **Satanas studet falsam gentium stabilire unitatem.**

g. Constitutum est populo Christiano ut in viâ suâ ad beatam vitam semper trahat salutem '*ex inimicis suis et de manu omnium qui oderunt eos.*' Olim nihil tam profuit populo Christiano quam communis omnium causa et commune bellum contra Saracenos, quod coadunavit multas gentes, occasionem præbuit multis electis viris se ipsos et sua pro **Prodest populo Christiano communis causa.**

honore D. N. J. C. et fratrum solamine offerre, aperiens his viam ad gloriam armorum et famam militarem, aliis laudem munificentiæ pro causâ Dei, et omnibus gaudium ac lætitiam. Æque igitur nunc temporis prodesse poterit populo Christiano communis causa, ad opus veræ pacis et concordiæ Christianæ perficiendum, nempe per artes modernæ civilitatis solemnem honorem D. N. J. C. reddere, ac memoriale gratissimum Concilii Œcumenici Vaticani omnibus simul terræ populis communicandum.

IV.

Exponitur quod opportunum dicere videtur de relatione operis supra expositi ad Summum Pontificem VIII. *argumentis.*

1. Omne opus cujus cura ac solicitudo dici potest pertinere ad Ecclesiæ Apostolatum, ad summum Pontificem revertitur, tanquam ad supremum caput. Cujus rei exemplum fuit bellum contra Saracenos, quod in initio agitatum fuit in populo Christiano, et postea devenit maxima cura ac solicitudo diversorum Romanorum Pontificum.

Romanus Pontifex supremum caput.

2. Papa est Doctor universæ plebis Christianæ, et Apostolus totius mundi, et idcirco opus illud cujus scopus et intentio est ut universæ plebi Christianæ inserviat ad instructionem et utilis fiat toto mundo in conversionem ad fidem, necessario pertinet de jure officii sui ad Papam.

Papa est Doctor et Apostolus.

3. Gloria Papæ erit tanquam novus puer David sumere posse de torrente limpidissimos lapides, et convertere eos in bonum Apostolatûs sui pro populo Christiano, et pro toto mundo.

Papa est alter David.

4. Gloria Papæ erit tanquam alter Moyses stare in porta et clamare, 'Si quis est Domini, jungatur mihi,' ad omne opus bonum pro populo Dei perficiendum.

Papa est alter Moyses.

5. Gloria Papæ erit tanquam alter Salomon, cum regibus et principibus universæ terræ negotiare posse de ædificandâ domo Dei.

Papa est alter Salomon.

6. Gloria Papæ erit tanquam alter David Rex posse habere secum operarios in omni genere artis ac scientiæ peritissimos, quorum mens erit semper dicere, 'Omnia quæcunque præceperit Dominus noster Rex libenter exequemur servi tui' (2 Reg. xv. 15).

Papa est alter David Rex.

934

Romani Pontifices patroni artium fuerunt.

7. Gloria Romanorum Pontificum semper fuit, se ipsos omnium bonarum artium ac scientiarum patronos exhibere. Et hic datur quæstio de patrocinio illarum modernæ nostræ civilitatis exquisitissimarum artium quarum fructus debent esse non tantum in admirationem pro solâ urbe Româ, sed pro universo mundo, et pro omnibus simul populis terræ.

Patronus artium ab omnibus laudatur.

8. Ægre fert mundus audiens de Apostolo suo infallibili, et usque in finem contra Apostolum suum infallibilem bellum moturus est. Quis autem quæreret bellum movere et non potius laudare et gratulare optimo Artium ac Scientiarum Patrono, quem cernerent cientem zelum atque amorem Principum terræ, populum Christianum per diversas suas gentes coadunantem, scientiam ac peritiam virorum insignium ad se vocantem, ad opus veræ pacis conjunctis viribus aggrediendum; vitam nempe D. N. J. C. pro universis gentibus publici juris faciendam, qualem nemo adhuc vidit, qualem nemo alius nisi solus Summus Pontifex adjunctis sibi ex universis Christianis nationibus zelantibus sociis, illam mundo donare poterit.

V.

Exponitur quod opportunum dicere videtur de beneficiis quæ Romanus Pontifex et cum eo populus Christianus sperare possunt ex opere supra exposito in VI. *argumentis.*

1. Orbis terrarum accipiens vitam D. J. C. per artes modernæ civilitatis et scientiæ exarandam et publici juris faciendam, qualem nemo usque adhuc vidit, qualem nemo Bibliopolarum, nemo principum vel intelligeret vel poterit dare, qualem solus Romanus Pontifex intuitu curæ suæ pastoralis pro populo Christiano et officii sui Doctoris et Apostoli pro universo mundo, capax est et velle et posse dare, undique manibus plaudet, acclamante et dicente omni populo et natione, 'Quis sicut Romanus Pontifex, qui dat honorem Domino Jesu Christo, beatissimæque Matri Virgini Mariæ Sanctisque Apostolis, per universas gentes, qualem nemo alius in toto mundo.'

Opus cum totius orbis plausu perficiendum.

2. Romano Pontifici præcipuas grates agent omnes familiæ fidelium a manibus suis donum pretiosissimum accipientes, quale nemo alius in universo mundo vel curaret illis donare, vel si curaret poterit. Et in tali dono haberent semper præsens in domibus suis gratissimum memoriale amoris Supremi sui Patris et pastoris, qui curam habet de ovibus suis ubique terrarum degentibus, qualem nemo alter in universo mundo.

Grates agent omnes familiæ Christianæ.

3. Romano Pontifici grates agent omnes studiosæ juventutis curatores habentes saltem unum librum gratissimum, quem absque timore vel solicitudine legendum discipulis suis proponere queant.

Grates agent juventutis curatores.

4. Grates agent Romano Pontifici præcipuas omnes illi operarii quibus placuerit illi insignem honorem donare, assignando eis aliquam supradicti operis laborum partem.

Grates agent operarii.

Sublevamen ærarii Pontificii.

5. 'Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur' (Prov. xviii. 10). Opere per munificentiam fidelium et per industriam operariorum jam completo, accurrent eximii Bibliopolæ ex diversis gentibus et quod æquum erit dabunt, pro privilegio librum ad contribules suos edendi, ad ærarium Pontificium solvendum in justum sublevamen Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, ab impiis hominibus spoliatæ et in injustam inopiam redactæ.

Opus erit in exemplum.

6. Sperandum est, quod si Romanus Pontifex unum tale exemplum daret supremæ suæ pro universo populo Christiano solicitudinis de eâ materiâ, quam populus in manibus habet ad legendum, Episcopos cum eorum clero, animum magnum sumpturos, ad similia opera promovenda, unumquemque in propriâ linguâ et regione, ad incrementum fidei Catholicæ defensionemque ampliorem populi sui contra errores sæculi.

VI.

Exponitur quod opportunum dicere videtur, ad solvendas aliquas difficultates, VIII. *argumentis.*

1. Si dicat Papa: Probe cernitis in quantis ego constitutus sim angustiis, et quantæ me undique circumdant procellæ et tempestates; quomodo possim ego medius inter tantas turbines tale opus pacis et concordiæ in manus meas assumere?—Papa est successor ejus Apostoli qui dixit: '*Cum enim infirmor, tunc fortis sum*' (2 Cor. xii. 10). Eâ præcise ex causâ quia circumdant procellæ, non descendat Jonas in interiora navis, sed mittat in medium mare tot procellis agitatum D. J. Christum, ut stet mare a fervore suo. **Undique circumdant procellæ.**

2. Si dicat Papa: Ego sum solus relictus, fugerunt a me omnes reges et principes mundi, quare a me solo relicto, et omni humanâ ope destituto tale quid exigitis?—Papa est Vicarius illius qui dixit, '*Circumspexi, et non erat auxiliator; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret; et salvavit mihi brachium meum.*' Stet alter Moyses in portâ et clamet, '*Si quis est Domini, jungatur mihi.*' Annon habebit quot necesse erunt divites patronos, quot voluerit fideles operarios? **Papa solus relictus.**

3. Si dicat Papa: Vos postulatis a me, ut fiam Editor librorum, et ut faciam Bibliopolarum mercaturam pro universo mundo. Nescitis ne hoc nullatenus sustinere gloriam Romanæ et Apostolicæ Sedis?—Sed tamen Papa est successor ejus Apostoli qui dixit: '*Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*' (1 Cor. ix. 22); et verum est quod ratio rei minime postulat, ut faciat in propriâ suâ personâ Papa mercaturam Bibliopolarum, sed tantum ut pro reverentiâ supremi sui Apostolatûs fiat Dominus et custos fundi litterarii per delegatos suos operarios creandi, et postea habeat concordata sua cum idoneis Bibliopolis in diversis gentibus, secundum quod opportunum judicaverit et ratio rei agendæ permittet. **Vix convenit dignitati supremæ Sedis.**

914

Videtur æque aliis competere.

4. Si dicat Papa: Quare me ad opus aggrediendum trahere vultis, quod aliis æque ac mihi competit?—Nihil fieri potest vere bonum et efficax, nisi ab illo fiat, qui, vel quia tenetur ex officio suo, vel quia aliquâ missione adæquatâ munitus est, opus vere suum operatur. Opus autem de quo agitur, eo ipso quia indiget munificentiâ totius populi Christiani ut existat, et scientiâ perfectâ totius Ecclesiæ ut convenientem erroribus nostri sæculi medicinam adhibeat, ad neminem alium principaliter pertinere potest nisi ad solum Papam.

Res sine exemplo.

5. Si dicat Papa: Rem sine exemplo a Romanâ Sede postulatis.—Nullum infert præjudicium coram Romanâ Sede quod res sit nova et absque exemplo, sed quod judicari possit inopportuna et a dignitate et officio Romanæ Sedis aliena. Erat tempus quando bellum movere contra Saracenos fuit res nova et absque exemplo. Nihilominus tamen hoc nullatenus alienum a Romanâ Sede judicaverunt diversi Romani Pontifices, qui primatum in hac re sibimet studiosissime vindicaverunt. Et nihil aliud hic postulatur nisi ut Romanus Pontifex sibimet primatum vindicet, ad opus pacis et concordiæ Christianæ cum universali omnium bonorum plausu et lætitiâ perficiendum.

Quo jure speratur totius orbis plausus.

6. Si quærat Papa: Quibus argumentis nisi vos dicitis hic agi de opere pacis, omnium bonorum plausu et lætitiâ perficiendum?—Solemne fuit in vetere Imperio Romano eos viros laude dignos judicare,

'qui vitam excoluêre per artes
Quique sui memores alios fecêre merendo:'

An non pro vero gaudio reputari debeat universo populo Christiano, videre scientias et artes nostri sæculi eximias, honorem suum D. N. J. C. in conspectu omnium populorum reddentes? An non etiam memores erunt universæ familiæ Christianæ illius Romani Pontificis, qui bene de illis meruerit, primatum in tali opere bono ac grato sibi vindicando?

Quo jure dicatur opus errorum medicinam continere.

7. Si quærat Papa: Quibus argumentis, nisi, vos dicitis, opus de quo agitur, continere in se veram errorum nostri sæculi medicinam, opportunam atque efficacem?—Ut liber aliquis habeat rationem medicinæ efficacis simul et opportunæ

contra errores nostri sæculi, duo videntur requiri, ut ubique terrarum acceptabilis existat, et ut similis fiat fermento 'quod mulier evangelica abscondit in farinæ satis tribus,' nempe ut nulli suspicioni sit obnoxius. Quid erit acceptabilius ubique terrarum quam Vita D. N. J. C. omnibus scientiis et artibus eximiis nostri sæculi exornata, quid magis omni malâ suspicione liberum? Et nihilominus tamen cui ex lxxx. erroribus in Syllabo notatis, Vita D. J. C. non præbebit aptam occasionem medicinam doctrinalem opportunam applicandi?

8. Si quærat Papa: Quare vos, vobismetipsis fatentibus non esse vestrum de omnibus simul populis curam gerere, vosmet in prærogativum supremæ Sedis hic ingeritis, a papâ postulantes remedium errorum nostri sæculi, omnibus simul populis applicandum, cum nullatenus vestrum sit de his erroribus solicitudinem gerere?—Verum est quod soli Papæ competit de remedio contra errores sæculi omnibus simul populis applicando curam ac solicitudinem gerere, nihilominus tamen, nemo negabit, filiis ac subditis Papæ optime competere, ut unusquisque in ordine suo, propriæ suæ gentis et regionis memoriam habeat, et de malis quibus affligatur doleat. Ne ergo Papa, si veniant filii sui ad eum postulantes remedium universo mundo applicandum, in hoc videant ullam in ea quæ de prerogativis Papæ sint ingerentiam, sed tantum documentum plenæ illius fidei quam habent, esse in potestate Papæ, assumptis sibi ex totâ Christianitate delectis operariis talem medicinam dare, quæ eâ præcise ex causâ quia omnibus simul populis applicanda erit, ad propriam uniuscujusque gentem ac regionem ventura est eo usque melior et amplior, quo fortior unâ gente solâ, vis unita est multorum populorum, et præsertim sub ejus ducatu, qui solus absque æquali, illis præest in nomine Domini.

Quare venitur ad Papam.

VII.

Breviter exponitur quod opportunum dicere videtur de modo operandi ad Summum Pontificem humillime proponendo.

Opus operandum, de quo agitur, se resolvit in duas partes præcipuas.

1. Prima pars versatur de re ipsâ creandâ sive producendâ, et spectat ad eos, quos placuerit Summo Pontifici sibi adsciscere in operarios ad diversos operis faciendi labores; et hæc prima pars in VI. argumenta cadit.

2. Secunda pars, post rem creatam sive productam, versatur de eâ applicandâ ad plebem Christianam per suas nationes, et spectabit ad ærarium Pontificium, et ad delegatos quibus placere possit Papæ committere negotium tractandi cum idoneis Bibliopolis sive Societatibus, ad mercaturam faciendam cum contribulibus suis.

De prima parte operis faciendi, VI. *argumentis.*

De ærario habendo.

1. Res primi momenti in quacunque humanâ operatione est habere ærarium; et cum primaria et principalis intentio operis sit, ut sub regimine Summi Pontificis fiat, in symbolum omnium populorum unitatis in Ecclesiâ Catholicâ, in Concilii Œcumenici Vaticani memoriale gratissimum, in sublevamen ærarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ab impiis hominibus spoliatæ, atque in ornamentum ac solamen vitæ quotidianæ universæ plebis Christianæ per suas nationes, oportebit ut instituatur ærarium operis speciale, cujus custodia idoneis custodibus deputabitur, quibus incumbet cura ac solicitudo, ut notum fiat universæ plebi Christianæ de opere faciendo quo meliore visum fuerit modo, ut omnes de eo audire possint et invitationem accipiant dona sua ad ærarium mittere.

2. Specialis intentio præsumitur a parte Summi Pontificis, ut historia de Vita D. N. J. C. ita tractetur, ut nihil eorum neglecto quæ de verbis SS. Evangelistarum et SS. Patrum et Doctorum Ecclesiæ ad nostra usque tempora in ædificationem fidelium descenderunt, nihilominus tamen, eâ præcise ratione quia mundus universus nunc temporis erroribus lxxx. in Syllabo notatis, subjacet, oportebit, ut quot occurrant sumerentur occasiones, in conscribendâ historiâ, de verbis et gestis D. J. C., ad præfatis lxxx. erroribus idoneam medicinam adhibendam. Principalis ergo pars operis erit, in ita conscribendâ historiâ de novo, et spectabit hæc principalis pars ad eos quos ad hoc munus Summo Pontifici placuerit delegare scriptores. De novo textu historiæ conscribendo.

3. Pertinet ad naturam operis uti arte eximiâ photographiæ, ut omnes illas regiones Palæstinæ quas D. J. C. sanctificavit necnon monumenta quæ supersunt, et indicia morum ac consuetudinum, per hanc admirabilem artem depingerentur. Et ad hæc omnia habenda, oportebit mittere viros quos Summo Pontifici placuerit seligere ad totam terram Palæstinæ quatuor vel sex mensibus peragrandam, ut omnia ad opus spectantia secum exinde reportare possint. De arte photographiæ utendâ.

4. Pertinet ad intentionem operis, specialem indagationem instituere de omnibus rebus vetustis, nummis, monumentis, morum ac consuetudinum illorum temporum indiciis et ceteris quæ invenire licet, et spectabit hæc pars laborum ad eos, ad quos placuerit Summo Pontifici eam specialiter delegare. De indagatione monumentorum.

5. Pertinet ad intentionem operis, ut invitationem accipiant illustrissimi quos habet unaquæque gens historiæ pictores, ad tabulas faciendas, de variis D. J. C. gestis; et oportebit deputare secretarium vel officialem, unum vel plures, ad tractanda debita negotia cum his pictoribus. De negotio cum pictoribus tractando.

6. Pertinet denique ad naturam operis, uti sculpturâ super buxum; et oportebit deputare officialem hujus artis expertem ad tractanda debita negotia cum sculptoribus in hac arte peritissimis. De negotio cum sculptoribus tractando.

VIII.


In fine exponitur, quod opportunum dicere videtur, nempe, nullam adesse necessitatem quare indebitâ festinatione ad immaturam consummationem urgeretur opus, et non potius ut, secundum exemplar grani sinapis evangelici, gradatim crescat et floreat.

De progressu lento ac maturo.

Verbi gratiâ, nequaquam est ultra vires etiam unius divitis patroni mittere expeditionem ad peragrandam Palæstinam, ad exemplaria photographica exinde reportanda. Talia postea fiunt vendibilia pro ærario operis. Interim prosequuntur docti scriptores et indagatores vetustatum opus eorum, interim etiam fiunt collectæ in ærarium solvendæ. Et durante totius operis cursu, solum secundum quod permittit status ærarii, dentur opera facienda in manus pictorum et sculptorum. Hoc modo lente ac gradatim procedat opus, Domino benedicente, ad consummationem suam.

Opere feliciter consummato, non dubitandum quin facillimum erit habere commoda concordata cum idoneis Bibliopolis, ad opus supra expositum in diversis populis publici juris faciendum.

FINIS.



Ex typis Robson et Filii, Pancras Road, London

Indice degli Autori e delle Materie del

Vol. 149.

Anivitti Vincenzo — Della pietà de' Cattolici verso Maria. Orazione Accademica ---- 3

Basso Antonio Luigi — Parole di benedizione e congedo a quei di Grottole, ostello ecc. ---- 627

Bosco Ferdinando (Del — Dispacci 18. 20. 21 luglio 1860 al Maresciallo Clary dal forte di Messina 247 a 333

Cassero Francesco — Telegrammi sullo stesso argomento 355

Cappaccini F. ... — Regolamento della S. Congregazione 27 agosto 1836 sui Registri Parrocchiali — 811

Catara — Lettieri Antonio — sulla vita e sulle opere del Comm. Pietro Cuppari. Alcuni ricordi -- 493

Clary ... (De — Istruzioni del 13 e 19 luglio 1860 al Colonnello del Bosco sulla resistenza di Messina 334, 348

Formby Enrico — De Vita D. N. J. C. Fasciculus Primus -- 919

Gloria Andrea — Ulteriori Considerazioni intorno alla Terzina 16.ma del Canto X del Paradiso ---- 549

Mauro Da Perugia — Della cara Memoria del Rev.mo P. M. Raffaele Rampichini elogio funebre -- 471

Musolino Corrado — Della Istruzione dei Ciechi. Lettera al Sig. C. C. - Napoli ---- 591

Mitchell Riccardo — In memoria del Prof. Pietro Cuppari - Civica ---- 537

Negretti Antonio — Lettera dedicatoria 2 settembre 1869 per nozze Da Schio - Thiene ---- 460
Negri Giovanni — Synodus sanctae ecclesiae Derthonensis celebrata die 6, 7, 8 septembris 1843 -------------- 409
Parato Giuseppe — Relazione sullo stato morale dell'asilo infantile Maria Teresa in Borgo Dora per l'anno 1869-70 ------ 361
Savi Ignazio — Risposta al Co. Giovanni Da Schio sui Cardinali di Casa Thiene giugno 1827 — 465
Torrenteros Giovanni (De — Al sig. Ospedale di Mondovì pel suo opuscolo Trenta giorni in Mallino - 327
Vayola Andrea — Pietro Cuppari i magno Pisarum Lyceo de Re agraria doctori decuriali immaturo defuncto. Ode --------- 543

Autori Anonimi

Della Pietà dei fedeli verso Maria Orazione --- 3
Quaestiones Caeremoniales variae de nonnullis sacris functionibus sacris. --------------- 33
Colpo d'occhio su le condizioni del Reame delle Due Sicilie nel corso dell'anno 1862 -------- 63